Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26119
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ab obedientia sanctorum mandatorum dissiliunt. non tamen illi qui ea seruant in angaria. sed et hii qui custodire uolunt cum diligentia. Quid et ultra ualebit celebranda concilia quae per unius personae delationem irrita fient quantislibet auctoritate fulta iudicia. Unde rogamus sanctitatem uestram. ut librata consideratione commodorum et incommodorum quae ex perturbatione nasci possunt sanioris sententiae animum accommodetis. et iudicia synodalia non nisi ratione cassentur. et mandata apostolica curiose

Ivo b. c. e. mi. kee pusilli gregis doctori. XCIIII. Ut si obseruentur. Ut.

L. suessionensis ecclesiae preposito. H. eiusdem ecclesiae decano. et reliquo clero sal in domino.

Ueniens ad nos petrus ecclesiae uestrae archidiaconus. postulauit a paruitate mea ut scriberem fraternitati uestrae. flagitanti consilium meum. sentire quid de sepultura patris sui. cui denegata est defuncto communio ecclesiastica. qui nec iudicio ecclesiastico nec pro aliquo facinore in quo deprehensus fuisset amiserat. sicut idem petrus dicebat iniuste. Quod si ita est rata nobis haec sententia uidetur. quoniam defunctis communionem interdicere non debemus. quibus uiuis non interdiximus. sicut defunctis illis communicare non debemus. quibus uiuis non communicauimus. Non enim potestas data est ecclesiae alia ligare uel soluere. nisi quae sunt super terram. Unde constat ea diuino reseruanda iudicio. Rogo itaque fraternitatem uestram et consilium do. ut quantum salua reuerentia episcopi uestri fieri potest anxietatem confratris uestri releuetis. et sepulturam ecclesiasticam si ita iniuste ablata est ut predictus frater asserit reliquiis patris eius reddi faciatis. Ut. XCV.

Reuerendis fratribus et coepiscopis lamberto atrebatensi. et Iohanni taruanensi Ivo h. c. e. mi. sal in domino. Litteras domini papae et uobis transmissas per confratres uestros beati quintini canonicos credo uos accepisse. quibus et reprehensi sumus de quibuscumque assensu stephani beluacensis ecclesiae presbyteri. et premoniti quatinus omnibus modis caueamus. ne in ecclesiam beluacensem irrepat persona minus apta sacris ordinibus. Quoniam ergo uestra consuetudo semper fuit. lupos in ouilia dei subintrantes perfecto odio reprobare. eos quoque sicut fideles in domo dei canes uobis licuit inpugnare uestram religionem oportune et inportune rogamus et monemus. ut quod hactenus fecistis amore iusticiae propensius faciatis in hoc negocio ex debito obedientiae. Uos itaque ut suffraganei remensis ecclesiae monete metropolitanum uestrum. quatenus secundum tenorem litterarum quas dominus papa misit beluacensibus beluacensis ecclesiae clericos ad facienda canonicam electionem pro officii sui debito cohortetur. quatenus ex munimine aucto